







3.

26. 2

27. 2

28. 2

29

30

31

32
31

1727. Nr. 25-30 im vorhergehenden Bande

5. Schroeter, Fr. Pentus, Ordinarius Juris Consultiorem ... Decanus
(ad Oratoriam solummodo Joannis Andreae Schubarthii
instit.)
26. 2. Schroeter, Fr. Pentus, Ordinarius Juris Consultiorem ... Deca-
nus (ad Oratoriam solummodo Joannis Stephani Ka-
merli instit.)
27. 3. Schroeter, Fr. Pentus: Ordinarius Juris Consultiorem (ad Oratoriam
solummodo Joannis Christophori Pichtleri instit.) ^{Decanus}
28. 4. Schroeter, Fr. Pentus: Ordinarius Juris Consultiorem (ad Oratoriam
solummodo Jo. Fr. Severi Sattlerelli
instit.) 2 Exempl.
29. Schroeter, Fr. Pentus: Ord. Juris Consultiorem ... Decanus:
(ad Oratoriam solummodo Joannis Christophori Ulrichii instit.)
30. Schumann, Henr. Goloff: Exercitatio moralis, qua Hesper-
am Gothiam per duellionis absolutam ... in potestatem
Consultiorem consensu Reclerant.
31. a. 1. Spener, Justus Carolus: de jure repudiorum in primis
ex implicitis causa otia 2 Exempl.
31. b. 2. Spener, Justus Carolus: De jure repudiorum in primis
ex implicitis causa otia

32. Stenjelius, Christ. Fridrich: Dissertationis anatomicae
pathologicae, demonstrans veri temperamentis in humore
absentiam corpore hujusmodi cum intemperie confor-
mationem.

33. Vater, Abrahamus, Medici ordinem profectus:
in Dissertationem in aug. medicam (Theodori Ckka-
denii iuribus)

34. Vater, Christianus: De medicina praesentive

35. Weidler, Dr. Fridrich: De praesenti specularem
astronomicarum stata

36. Weidler, Francus Fridrichus: De inspectis methema-
ticum specularem astronomicae originibus.

37. Weidmann, Fr. Fridrich n. Dr. Daniel Perlicius: Expli-
cationem Jurisdictionis Censurarii . . . executionem
Iam proponunt.

38. Wenter, Fr. Beltham, Ord. juridici. . . ordinarius et
. . . Decanus. Lectori Generali S. D. (in repre-
sentationem solennem Georgii Abrahami Kochii iuribus)

39a. loc.

= Wankler, Joannes Baldu: De jure affigendi
publice mandata vigilantiis immediatae contra
centenam asserta. 3 Inq. -

40. Wankler, Jo. Baldu: De effecta traditionis
verum immobitiam allocationem sine judicanti
instituta in primis in toto creatorem in eorum.

41. Wankler, Joannes Fredericus: De reservato verbo
Auszug

42. Wankler, Joannes Fredericus: De usu juris futuri
nanti in judiciis Germaniae non exiguo.

43. Wankler, Jo. Frider: Tentamen academicum,
num judicium institutum contra Susannam
uni alteri de jure conveniat?

44. Wankler, Jo. Baldu: Viriutatis juristica,
qua selectae prii observationes. . . publico
. . . examini subiecta.

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a letter or document.]



Q. D. B. V. 1/2 M
DISSERTATIO IURIDICA INAVGVRALIS
DE 1727 31a
IVRE REPVDIORVM
INPRIMIS
EX
IMPLACABILIS CAUSA ODII

QVAM 7 2A
PRAESIDE
IACOBO CAROLO SPENER, IC.
DIG. INF. ET NOVI NEC NON HIST. P. P. CVRIAE
PROVINC. ET SENATVS ECCLES. ELECTOR. SAXON. ITEMQVE
SCABINATVS AC FACVLT. IVRID. ASSESSORE SOC. SCIENT. REG.
BORVSS. SODALI

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CAPESSENDI

D. VII. OCTOBR. c. 15 1000 XXVII.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

PLACIDAE ERVDITORVM
DISQVISITIONI SVBMITTET

IO. CHRISTOPHORVS RICHTERVS,

DRESDENSIS

ADVOCATVS IMMATRICVLATVS.

VITEMBERGAE, LITERIS GAEBERDTIANIS.

DE
IURE REPVBIORVM
INPRIMIS

IMPLACABILIS CAUSA ODI
P R A E S I D E

JACOBO CAROLO SPENER, IC
DIG INT ET NOVI NEC NON HIST. P. R. CIVIS
PROVIC ET SENATVS BOLES ELECTOR SAXON TITIMORVS

PRO LICENTIA

SVMMOE IN TROOYE IURE HONOREE
ET PRIVILEGIO DOCTORALIA CASSENDI

D. DIE OCTOBE. 17. 1741

IO. CHRISTOPHORVS RICHTERVS
DISPUTATIONI EXAMINATVS
HONIS ANTE ET POST MATRIMONIUM CONSVETVS

PRESENS

APPOSIUIT: IMAHILICHT 1741





CONSPECTVS ARGVMENTORVM.

- Ratio instituti proposita. §. I.*
Iuris Naturae & Gentium antiquarum placita circa repudia. §. II.
Repudii vocabulum, arbitrii liberi index, cur fere exulet in Canonicio iure? §. III.
Novioris Romae & Germanicae leges paulo repudiorum licentiam adstrinxerunt, non cohibuerunt: §. IV.
Sed primum Ecclesia priuatis repudiis modum coepit ponere, & quibus maxime rationibus? §. V.
Repudium quid, & quomodo rite desiniendum? §. VI.
Moggius, negans repudio ex causa odii implacabilis locum esse, refutatur. §. VII.
Quo iure hodie, maxime in Evangelicorum foro, regatur disceptatio repudiorum? §. VIII.
Idoneum fundamentum ventilandis repudiorum causis substernitur. §. IX.
Quid odium, & quid sribusculum? An istud repudio occasionem praebet? Et quid, si odii nullae causae redditae? §. X.
Non attenditur simulatum odium, sed in vero odio quaedam causae nullitatem potius, quam diremptionem sponsaliorum inducunt. §. XI.

Odii iusta causa, sponsae nimia cum aliis familiaritas, & suspicio stupri, probata; quam praeiudicio insigni recte ad repudium tendere demonstratur. §. XII.

Causae plures odii ad repudium obtinendum idonei adductae, interceptae sponsae litterae, iniuriae, minae, verbera, sponsae illata. §. XIII.

Ex infami sponsi sponsaeque delicto, idonea odii causa, indeque repudii copia nascitur. §. XIV.

Quid si sponsus sponsae stuprum intulerit, si ista rapta & vitata? ubi casus memorabilis ex Anglia adductus. §. XV.

Odii causa ex foeminae faciei per morbum deturpatione, & ex morbo gravissimo partis alterius, unde repudiis passim locus datur. §. XVI.

Potest ex lapsu bonorum, numeris amissione, imo & ex alienis rixis & iurgiis, odio & demum repudio inter desponsatos nasci occasio. §. XVII.

An odii exceptio valeat contra sponsalia de praesenti, & quae ista? §. XVIII.

Quid si sponsalibus concubitus accesserit, an adhuc repudium ob superveniens odium possit decerni? §. XIX.

Quae ratio processus, dum odii gratia repudium a iudice imploratur? §. XX.

De reconventionem, interventionem, & probationem in hoc repudiorum processu, & an, ac quomodo iuramenti delatio admittatur contra sponsalia & matrimonium? §. XXI.

Ius iuramentorum necessariorum in nostra causa. §. XXII.

Quid sententia super repudio ex odii probatis causis statuendo continere debeat? §. XXIII.

Disquisitio de competenti foro saeculari, repudiorum intuitu, in secunda instantia, contra tradita D. Nicolai. §. XXIV. XXV.

DISSERT.



DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
DE
IVRE REPVDIORVM, IN-
PRIMIS EX IMPLACABILIS
CAVSA ODII.

§. I.



Idear propemodum actum agere, dum ad ius circa repudia, quod a plurimis doctoribus sub examen reuocatum est, paulisper nouis curis illustrandum adgredior. Verum salua satis instituti mei ratio est. Namque si vlla olim pars iuris plurimis dubitationibus, imo erroribus, fuit obnoxia, haec sane est, quae ad causam matrimoniorum, sponsaliorum, similesque Ecclesiastici iuris materias protenditur. Aegre proxima aetate inueteratis errationibus & praeiudicatis quasi opinionibus hisce in argumentis a cordatioribus doctoribus iri obuiam coeptum. Supersunt plura tacta potius, quam excussa, ut adeo bonis ingeniis hic libera copia in iustitiam vario-
rum

A

rum

rum casuum adhuc inquirendi suppetat. Agam vero strictius de iure repudiorum generatim, deinceps sigillatim ius repudiorum ex implacabilis odii causa discernendorum expositurus.

§. II.

Quid iuris sola naturalis ratio circa repudia siue permissa, siue prohibita, praescribat, non valde morabor. Sane cum sit expediti iuris, non ius naturae damnare diuortia, si saltem mutuo fiant consensu, longe minus dubium, repudiis sponsaliorum eandem conditionem esse positam. Igitur hoc iure sponsalia, mutuo inita consensu, dissensu mutuo libere soluuntur, nec tanta ibi cura caufarum, quae inuita etiam altera parte repudii mittendi potestatem faciant. Certe intolerabiles mores sponsi sponsaëue citra haesitationem alterutrius partis repudium excusant, imo iustum declarant. III. GRIBNER. *Princ. I. N. Lib. I. c. 8. §. 2. 3.* Sequuti sunt naturalis iuris libertatem gentium plerarumque antiquiores mores. Apud ipsum Dei populum, Hebraeos, repudia frequentata & licita. Ut vel inde pateat, rationis dictamini nihil hic aduersari. BVXTORFF. *de Sponsal. & Diuort. Ebraeor. P. I. n. 71.* CYPRAEVS *d. Iure Connub. Cap. XIII. §. 6.* Nec facile Graeci sponsalibus eam scripsere legem, ut istis immorari inuitis necesse esset. Roma quidem vetustior tenacior coniugalis fidei. Ignorauit satis diu diuortia, quod insignis locus GELLII *Noct. Att. Lib. IV. cap. 3.* luculenter docet. Vid. PRAESID. *Cogitat. d. Iust. maritali in bonis vxor. S. I. §. 8. sq.* Si quae etiam fides de ineundo matrimonio aetate ea data esset, religionis veneratione difficillime reuocari consuevit. Namque

que iam Romulus sacrorum usum nuptiis adiunxerat. Igitur vel cogitatio proxime instantis confarreationis & sacrificii arcere desponsatos a pacti reuocatione potuit. *Celeb. HEINECC. Ant. Rom. Lib. I. tit. 10.* Prope est, ut mihi persuadeam, cum in TACITI egregias integerrimorum morum Germaniae priscae, circa inita, imo et ineunda, matrimonia, laudes *Germ. Cap. XIII. et XIX.* penitus intueor, Romae priscae feueriorem virtutis cultum diutissime nostris etiam maioribus probatum fuisse. Sed quam feueris moribus circa coniugia Roma vetus imbuta erat, tam deinceps, si quae vnquam alia gens, in omnem licentiam diuortiorum et repudiorum coepit effundi. De diuortiorum Romana libidine *SENECA Lib. III. d. Benef. cap. 16.* grauiter monuit: *Nunquid iam vlla repudio erubescit, postquam illustres quaedam & nobiles foeminae non Consulum numero, sed maritorum, annos suos computant? & exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? Tandiu istud rimebatur, quamdiu rarum erat: quia vero nulla sine diuortiis acta sunt, quod saepe audiebant, facere didicerunt.* Repudiorum tum potestas cuilibet, eiusque vnica fere causa, mutatus duntaxat sponsi sponsae amor animusue, fuit. Quippe a matrimoniis Romanorum dudum sacra et sacrificia aberant, & nuptiarum per confarreationem aegre nomen supererat. Omnino, quae cum feuerioribus moribus Romanis usu venerat, *actio ex sponsu*, quae inter patrem sponsae, qui spondebat, et sponsum fuerat ventilanda, tum, cum puellae pater sponsalia recusaret, sine iusta causa laudata, implere, demum desierat. *HOTOMAN. d. Sponsal. Cap. III.* Postquam adeo ad solius ciuilis, sed liberioris, negotii naturam sponsalia ipsaque matrimonia viderentur reducta, aegre

ultra pactorum nudorum indolem Romani ex sponsalibus obligari sustinuerunt. Ea denique licentia per leges probata & firmata erat. Imperatores sine conditione constituerant in *L. 1. C. d. Sponsal.* *Alii desponsatae renunciare conditioni, & nubere alii non prohibentur.* Idque Romae iuris viguit, vt repudiorum causas reddere aut explorare haberetur prope nefas, vt adhuc exularet etiam ab harum causarum ventilatione iudicum omnis auctoritas, donec primum ex Christianorum Imperatorum legibus, & imo ex Leonis & Anthemii constitutione, iusta causa excusationis requireretur, ne remittens repudium arrharum duplicatarum, quae post prius sancitam poenam quadrupli sancitae sunt, incurreret dispendium. *L. 5. C. d. Sponsal.*

§. III.

Repudiorum ipsum nomen, atque vis potestasque vocabuli, loquebatur eam, quam designaui, apud Romanos facultatem libere conditionibus sponsalitiis renunciandi. A pudendo quidem dictum repudium voluerunt interpretes, quod repudium fiat ob rem pudendam, vti ex *VERRIO FESTVS d. V. S. Lib. XVI.* tradidit. Quam parum autem puduit Romanos, vel a plurimis sponsalibus resiliisse? *BROUVER. d. Iure Connub. Lib. I. c. 25. §. 4.* Erat *repudii* vocabulum index facultatis liberrimae, vt luberet, agendi. Ita *repudium dicere, mittere, remittere, renunciare, scribere*, solius priuati arbitrii reputatum, & nullus ibi istisque in vocabulis solennibus publicae auctoritati, & ne quidem priuatis contra hanc libertatem conuentionibus locus. Est memorabile, & vix mereatur

tur fidem, quod ne quidem stipulatione poenali, quae in locum eius, quod interest, alioquin succedit, impediri potuerit repudium. Sed id aperte liquet ex *L. 134. princ. d. V. O.* In hac enim lege proposito casu *negata valere stipulatio, cum ea non secundum bonos mores sit interposita.* Quasi hi optimi Romae mores essent, secundum quos repudia ita licita & libera facta, ut limitationem nullam ultra admitterent. Diuortii aequae apud Romanos priuatorum arbitrio permisissis, nil mirum, repudii quasi egregie potestatiuam vocem ad diuortia protentam esse, & repudia a coniuge etiam missa coniugi. Factum quippe generis nomen repudium, & tam diuortium, quam repudium in specie comprehendit. *Brisson. d. V. S. v. Repud.* Ostendunt tamen leges, post generalem usum vocabuli, etiam singularem & proprium eius sensum, in quo utique repudium sponsae maxime remitti, & solennia illi verba renunciari consueuerant, *Conditione tua non vtor*, obtinuisse. *L. 2. D. d. Diuort. & Repud. l. 10r. D. d. V. S. l. 191. D. eod. Ill.* BOEHMER, *Jur. Eccl. Lib. IV. tit. 1. §. 146.* Quo in sensu singulari & proprio, usus doctorum & fori ad praesens usque tempus repudii vocem retinet. Sed equidem miratus sum, quod, cum sedes noui iuris circa repudia constituti maxime in Canonico iure reperiat, id tamen vocabulum repudii neque in Decreto, neque in Decretalibus, valde occurrat. Aliis potius nouisque sacrae constitutiones vocabulis vtuntur. Ita *soluere aut dissoluere sponsalia, inuadare ea, separare ab inuicem desponsatos, impedire matrimonium contrahendum*, ceteraque istiusmodi elogia fere sola Decretalibus sunt solennia. *Cap. 1. 2. 22. 24. 27. & 31. X. d. Sponsal. & Matrim. Cap. 5. & 8. X. d. Desponsat. Impub.*

Enimuero mutati verbi repudii, & assumtarum in Canonibus & Capitulis nouarum vocum mihi haec suppetit idonea ratio. Nimirum posteaquam sponsaliorum renunciations priuato demum sunt plane exemptae arbitrio, & decretis Ecclesiae ad forum Episcoporum, & certa ratione ipsius summi Pontificis, traductae, visum vti verbis nouo iurium statui conuenientioribus, & Ecclesiastica iurisdictione in hisce causis ex facto fundata dignioribus. Adfueti tamen magis sunt doctores Romani iuris formulis, quasi supersticis priuati cuiusdam arbitrii testibus. Quibus, praemissa quidem illa non inutili obseruatione, & nos eo facilius tutiusque vimur, quominus, adeo commutato rerum iuriumque statu, subest periculum, vt cuiquam sensus verborum, quem in Pandectis leges prodiderunt, ultra imponat.

§. IV.

Modo in transitu visum est, alia nunc nobis iura, alios mores esse circa repudia, nullumque hodie inuitae sponsae repudium mittere licere, nisi iusta iudici ratio mutatae voluntatis exhibita, atque ab ipso probata, repudiumque decretum fuerit. NICOLAI *d. Rep. & Diuort. Cap. II. §. 12.* Quod recessum est, & cur recessum fit, a Romanarum legum & consuetudinum, nec non liberioris Naturae Iuris, obseruantia, paulo persequi opus est. Licentiosorum vti que diuortiorum & repudiorum, nam & naturalis libertas facile tracta in abusum, taedere coeperat, postquam Christianae doctrinae praeceptis Romani imbuerentur. Quibus tum idoneis ex rationibus merito oportuerit repudiis leges scribere, mitto confiderare. Sed videantur de hac causa solide disputata a

BOEH-

BOEHMERO *d. l. ff. vi. ff.* Nil ut dicam de diuortiis inde coercitis, sane etiam ab eo tempore, quo Christiani Imperio sunt potiti, ad licentiam repudiorum refrinandam quaedam poenae sunt inuentae, ita, ut iustis facta ex causis repudia libere deinceps durarent, sed temere dicta non prorsus essent impunia. NICOLAI *d. l. n. u. Quadrupli poena cum restitutione arrharum*, illa poena fuit ex praecepto legum debita, & ex *L. 6. C. Theod. d. Sponsal. l. vn. C. Theod. Si Nupt. ex Reser. per. & ex l. vn. C. Theod. Si Prou. Res.* detrectantibus promissum inire matrimonium imposta. De qua poena egregie multa commemorauit *Ill. BOEHMER. d. l. ff. iyo.* Sed poena ista deinde per *L. 5. C. d. Sponsal.* iterum mitigata, ut supra iam ostensum *ff. II. fin. Vnde patet*, quam adfueuerit seculum superius libertati repudiorum, & aegre haec libertas legibus contineri passa fuerit. Namque adhuc nondum a debili vi sponsaliorum tum digressio facta est, neque plene iudicium auctoritati in his causis locus factus, quin potius libere adhuc mitterentur dicerentur repudia. In Francico regno sponsalia eatenus firmiora vel ex antiquissimo aeuo conseruata, quod *ff. II.* non esse improbableem iudicauit, vel deinceps, Christiano cultu suscepto, reddita, ut ea dissoluere sponso aliter non liceret, quam honore sponsae reseruato, & poenae loco ipsi pecunia certa a sponso persoluta. *L. ALEMANN. Cap. LIII. ap. BALVZ. T. I. p. 71. Si quis filiam alienam desponsatam dimiserit, & aliam duxerit, componat eam, quam desponsauit, & dimisit, cum XL. Solidis, & cum XII. Sacramentalibus iuret, -- ut pro nullo vitio nec tentatam eam habuisset, nec vitium in illa inuenisset, sed amor de alia eum induxit, ut illam dimisisset, & aliam habuisset uxorem.* Similia habentur in *LL. BAIVVAR. ap.*

ap. EVND. p. 115. additumque: *Et sit finitum inter eos, & postea filiam suam donec (pater) cui vult. Lex SALICA Cap. LXX. solius poenae meminit: Si quis filiam alienam ad coniugium quaesierit, praesentibus suis & puellae parentibus, & postea se retraxerit, & eam accipere noluerit, IID. denariis culpabilis iudicetur.* Poena deinde licet aucta vsque ad ducentos solidos, quod ex CAROLI M. Capitul. ad An. 814. liquet, praevaleuit tamen in Germanico regno receptus libertatis fauor, & hoc sane nondum apparuit isto aevo, soli iudiciali potestati repudiorum dictiones esse assignatas. Quo minus ceteroquin prisca Germani in priuatis domesticisque negotiis ad iudicium recurrere auctoritatem fere ab omni aevo adsueuerant.

§. V.

Quod potestas civilis efficere posse ambigeret, tentavit demum Ecclesia, id est Clerus & Sacerdotium, & magis contra repudiorum libertatem, quam vis civilium legum, demum valuit. Nempe ex Iudaicis moribus, quos testatur SELDEN. d. Vx. Hebr. Lib. II. c. 7. *benedictio sponsaliorum* facta moris, primis fere post C. N. seculis. Post alias Patrum sententias, a Dom. BOEHMERO d. l. §. 152. studiose collectas, Papa SIRICIVS in Epist. ad Himerium Cap. IV. apud HARDVINI. T. I. Concil. p. 848. de sponsalium nexu ita sententiam dixit: *De coniugalium violatione requisivisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere? Hoc ne fiat, omnibus modis inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles sacrilegii cuiusdam instar est, si vlla transgressione violetur.* Doctrinam hanc mirifice adiuvit alia, ex qua *initiatum matrimonii* loco

loco habita sunt sponsalia: quae sententia iam vetustioribus Ecclesiae Patribus adprobata est. Inde magna vis obligandi sponsalibus attributa, ut omnino *in c. 9. C. 27. qu. 2.* vocata fuerit *sponsa coniux a prima fide desponsationis*. Quae inde deductae variae conclusionēs? *Vid.* BOLHMER. *d. 1. Sacramenti etiam opinio*, quae tandem indita est matrimonio, haud difficulter sponsalia fecit firmiora et securiora, quod quasi essent initia sacramenti in sponsalibus. Tali ab Ecclesia praestitae operae serius acquiescere Principes, & decreta Patrum, Conciliorum & Pontificum, in vim legum adeo abire permiserunt, ut denique, multum repudiorum imminuta libertate, omnes tales causae soli auctoritati publicae paterent. Quod eo magis fieri potuit, cum Ecclesia, id est, Clerus, causas ac quaestiones matrimoniales ad forum suum traducere, moliretur. Quibus vero id artibus demum sit effectum, dignum memoratu argumentum nunc tamen sicco pede necessario transeo. Sane autem non prius aut magis sponsalia legibus adstricta, & ab ipsis discedendi extremum omnis copia negata, donec Ecclesiastica iudicia occuparent hanc cognitionem. In quem statum perueniunt quaestiones matrimoniales iam a Seculo IX. Nam ea aetate Papam in Lotharii Regis matrimoniali diffidio cum satis magna auctoritate intercessisse, constat. Episcopi cognitionem de priuatorum sponsalibus eorumque repudiis suam fecere. Sensim ibi ac pedetentim a Clero processum. Secularia iudicia demum prius se exclusa & prohibita viderunt, a matrimonialium dissidiorum cum tempore assumpta decisione, quam ab ea se arceri persentiscerent. Si omnino etiam in Germania causae repudiorum ad ciuilia tractatae fora, eorum auctoritati

summum erga sacerdotium studium, quod Germanis quasi proprium durauerat, facile rursus derogare coepit. Quae omnia sub insigni sanctitatis specie passim miris fraudibus transacta sunt. Hodie perstamus in hoc certo iure, vt nulla supersit priuatis a sponsalibus, vel vtraque parte volente, recedendi facultas. Ergo iudicis expectanda vbique sententia, & quae alius, cum praesenti rerum statu, nisi Ecclesiastici iudicis? Hac lege in vniuersum viuitur in Catholica Ecclesia. Principum & illustriorum repudia, ad solius Papae iudicium, cum aliis referuatis casibus, pertinent. Haud pauca de sponsalibus litigia Papalium Nunciorum iudicia occupant, & ceterae priuatorum repudiorum causae in Ecclesiasticis iudiciis inferioribus terminantur. Adeo nunc exultat omnis secularis potestas a matrimoniorum causis, vt iam diu ne Imperator quidem has Principum causas attentare ausus sit. Qui enim publici doctores iuris referuatam aliquod Imperatori ius circa Principum sponsalitia & matrimonialia litigia dudum assignarunt, nae istos, quod iuris esse poterat, commode docuisse puto, facti vero propemodum probasse nihil. *Vid. PRAESIDIS Ius Publ. G. Lib. IV. c. 5. ff. 15. not. c.* Apud Euangelicos non magis, quam apud Catholicos, priuatis circa dissoluenda sponsalia, & dicenda repudia, arbitriis vel vllus relictus locus est. Repudii nomen etiam apud nos vim suam, secundum ea, quae dixi superius, videtur amisisse. Sunt autem fere in eodem statu inter nos repudiorum iudicia, ac in Catholica Ecclesia. *CARPZ. Iurispr. Consist. Lib. II. t. 10. d. 175. NICOLAI d. Repud. Cap. II. n. 2.* Et concordat *Ordinario Ecclesiastica ELECTOR. SAX. sub rubr. Von beyden Consistorien. Tit. Was vor Sachen ins Consistorium gehörig.*

gehörig. Hoc differt, quod isthic soli Sacerdotes moderentur & regant Ecclesiasticum forum. Contra apud nos placuit quidem causas sacras & matrimoniales a reliquis ciuilibus segregare, & singulari Ecclesiastico senatui iudicandas committere. Quid ibi etiam opinio & persuasio sacramenti, quod matrimoniis inesset, & quasi iam sponsalia consecraret, valuerit, non valde moror. Sane tamen in eo actum longe prudentius, quod, non tantum ex communi Ecclesiarum nostrarum obseruantia, soli viri Politicarum rerum peritia pollentes in isto senatu fangantur directione: ad quem statum proxime etiam prouidentissima Potentissimi Regis nostri cura Vittembergense Consistorium plenius restaurauit: sed etiam quod sacris senatibus iure omni Politici assessores, qua primarii iudices, intersint. Etenim Theologos simul iudiciis istis interesse consultum recte visum est. Idque seruatur hodie, non ex minimis rationibus. At necessitatem iuris dum asseruerimus in Theologorum assessura hisce in iudiciis, plurimum, saltem quod ad causas matrimoniorum & sponsaliorum litigiosorum attinet, falleremur. De quibus sane Politici viri aequo sanum, & diuinis humanisque legibus conueniens, iudicium formare didicerunt, aliter ac in hisce Papalis curia delirauit quondam, & cum ea non pauci nostratium doctorum eundem errorem errarunt.

§. VI.

Repudium quid qualeque sit? cum eius hodiernum iure stabilitum iudicium ostenderit, adhuc definire necesse est. Namque repudii ipsius rationes probe exploratas habere conuenit, antea quam firmum de eius po-

tiori causa ex odio implacabili oriunda iudicium statuatur. *Repudium*, hodierno iure esse censeo, *firmorum sponsalia ob iustam causam, siue altera parte invita, siue utraque consensiente, factam dissolutionem*. Repudium utique praemittit firmum ius ex sponsalibus iam acquisitum. Repudiantur ea enim tantum, quae iam sunt delata. *L. 7. §. 7. D. d. Success. Ed.* Nec repudiare quis id potest, quod, si velit, habiturus non est. *L. 135. D. d. R. I.* Ita omnino iure Romano vereri, cum solius priuari arbitrii repudia essent, sponso sponsaeue opus non fuit formalibus repudiis, cum sponsalia vel essent ipso iure nulla, scilicet metu, errore, doloue extorta aut procurata, vel etiam cum essent infirma. Quod hodie praesertim locum habet in iudicio de repudiis. Cum enim quaedam sponsalia sint ipso iure nulla, quippe quae nunquam constituerunt, dissolui non possunt, sed modo irrita & nulla a iudice declarantur. Quod poterat locum habere, dum sponsalia clandestina & sine consensu parentum fuerint contracta, non aequae, si sine testibus, quae ceteris paribus non sunt nulla, aut inualida. *Perill. Dom. DE BERGER. Oecon. Iur. Lib. 1. tit. 3. §. 4. p. 95.* Porro etiam, quae infirma sunt sponsalia, redduntur irrita, non solvuntur repudio. Haec locum potissimum habere constat, in repudiis ex capitalis inimicitiae causa decernendis. Si quidem haec causa non ventilandis momentis opus habet, cum nullitas aut infirmitas sponsaliorum aliunde appareat. Quando autem alioquin sunt firma sponsalia, tunc impugnari, & demum probe cognita re ex dicta causa dissolui possunt. Nihil interest, sintne haec sponsalia firma, de quorum diremptione agitur, pura aut conditionata. Nam etiam, dum pendet conditio, non sunt

sunt extra obligationem partes. Et potest a iudice peti istorum conditionatorum sponsaliorum solutio, cum subortum odium manifestet, male actum iri cum partibus, dum conditione impleri cogi ad matrimonium ineundum debeant. An & quid respectu repudiorum referat, quod solent vulgo sponsalia distingui in sponsalia de praesenti, & de futuro? de ea quaestione infra adhuc locus dicendi. Fit plerumque inuita altera parte sponsaliorum in iudicio dissolutio. Fac enim, post celebrata firma sponsalia alterum alteram iusta ex causa impensiori odio prosequi occipere. Ibi odii causa adprobata, repudio statuendo nil obstat, quod detrectet persona odio digna conditionem quaesitam dimittere. Interim & casus existere potest, ubi, consentiente parte vtraque, ob mutui odii allegatas causas, iudex iuste de repudio statuere valeat. Sane non inde video rationem, cur iuxta doctrinam III. BOEHMERI *Iur. Eccl. Lib. IV. tit. 1. §. 146.* a repudiorum definitione plane exulare debeat partium dissensus aut consensus mentio. Id enim quodammodo ingreditur formam iudicii de repudiis. Neque BROWERO *d. Iure Conub. Lib. I. c. 25. §. 5.* assentior, quod ideo vtriusque partium consensus definitio non meminisse debeat, quia, cum ex amborum mutato affectu a sponsalibus receditur, non proprie repudium remissum, sed spontanea contractus in irritum deductio facta sit. Haec enim ratio Romanum ius sapit, non nostrum, quod, vel vtraque consentiente parte, non finit sine sufficienti causae contentione & publica iudicis declaratione repudium procedere. Iusta causa nostro iure, eaque non alleganda modo, sed & probanda, praemittitur, cum iuste in iudicio debeat aut possit constitui de

repudio. Siquidem haec bina sunt, in quibus a Romano iure recessum, quod primum repudia a iudiciali sola potestate dependere, deinde quod causa iusta exquiri atque examinari coeperit. Sed de iustitia reliquarum causarum, quas doctores afferunt, & de quibus mirum in modum controuersantur, hic nihil praeterea commemorare attinet. Verum continuo festino ad solum istud exponendum ius, quod obtineat, dum siue pars vna, siue vtraque, ob odium implacabile ad obtinendam repudii sententiam prouocet.

§. VII.

Remouenda est ante omnia eorum sententia, qui prorsus negant, in iudicio locum esse dissoluendis sponsalibus, ex sola capitalis odii causa adducta in medium. Quid enim de iure repudiorum ex hac causa mananrium sollicitus ero, nisi constet de eorum non prorsus deneganda iustitia? Negat praeter ceteros *MOGGIVS*, quem sententiae huic dabo patronum, *d. Sponsal. Cap. II. ib. 4.* vltos in toto iure occurrere textus, quibus fuerit potestas iudici facta, ex capitalis inimicitiae causa sponsalia dissoluere. Cum sponsalia de praesenti a vero matrimonio per *cap. fin. X. d. Sponsal. Et Matrim.* vinculi respectu parum nihilue differant, esse inde expeditum, ob implacabiles inimicitias partium locum non esse discernendis repudiis, quod sane constet, nunquam matrimonium ex tali causa iuste separari. Enimvero nec prorsus deest iustitia causae contra ipsum matrimonium ex implacabili odio productae. Nec, dum istud mittamus, ceteroquin ab eo, quod in matrimoniis separandis minus attenditur, ad sponsaliorum rationes valet sequen-

sequentia. Sponsaliorum diremtio fit potius ex variis frequentibusque causis, quae minime, dum est contractum matrimonium, ultra curantur. Producat & explicat egregie Ill. BOEHMER. d. l. §. 161. verba Pontificis in Cap. 2. X. d. Sponsal. & matrim. Praeterea hi, qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commoneadi sunt, & modis omnibus inducendi, ut praestitam fidem seruent: si autem se ad inuicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet, videtur, quod instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari. Ex iis, quae sobrie Pontifex sensit, solis satis refutata est MOGGII sententia, & frustra sunt, quae contra insignem textum dubia porro ab eo adducuntur: solide ostendente eodem, quem modo laudavi, Dom. BOEHMERO d. l. §. 167. Nam diserte Pontifex permittit atque suadet iudicibus, ut potius, apparente grauioris odii causa, dissolutionem sponsaliorum fieri patiantur, quam ut tristibus euentibus suppeditent occasionem. Textus ille praeterea de sponsalibus de praesenti ex Canonici iuris sensu loquitur. Inde cum re vera doctores nostri ea sponsalia vocent de praesenti, quae iuri Canonico vocantur de futuro, plane pater, longe magis in nostra sponsalia quadrare illam Pontificis decisionem, quam omnino de sponsalibus, quae ibi ipsi matrimonio sunt aequalia habita, proferre nullus dubitauit. Quod MOGGIVS adducit, quasi consensus faciat matrimonium, non concubitus, nihil id iustitiae repudii obstat. Differre enim inter vtriusque consensus, qui vel sponsalia comitatur & fundat, vel verum inducit matrimonium, rationes constat, indeque omnino

omnino diuersos alterutrius consensus in iure effectus promanare. A Moggio frustra prouocatum ad auctoritatem diuini edicti: *Quod DEVS coniunxit, vos meae creaturae non debetis dissoluere.* Siquidem & ipsa res loquitur, Christum non de contrahendo, sed de contratto matrimonio illud praeceptum suis dedisse, nec de sponsaliorum, sed de coniugii, validitate quaesitum respondisse, & idem fusius declarauit STRYK. *d. Diff. Sponsal. Cap. III. ff. 22.* Vt nihil addam de commonstrata diuersitate sponsalitiu consensus & matrimonialis. Indequae demum futilia sunt iuris Brocardica, quod iura loquentia in vno, locum quoque habeant in altero, quod quae in termino prohibita, prohibeantur etiam in via, & si quae ad nostrum argumentum alia illepide adplicari velint. Partes adeo auctorum negantium repudiorum ex odii causa iustitiam, cordatiores doctores iam dudum deseruerunt. Et quidem alii doctores adhuc sine sufficienti distinctione de quaestione nostra disputarunt, quod merito vero alii vitarunt, & affirmatiuam, non tamen sine idonea cautione adiecta, solide optimisque rationibus adstruxerunt. Quod breuiter indicatum, plenius mihi persequi haud vacat. *Conf. Perill. Dom. DE BERGER. Oecon. Iur. Lib. I. tit. 3. ff. 7. B. BEYER. ad CARPZ. Lib. II. def. 176. p. 125.*

§. II.

Quod si nunc plane pleneque expeditum est, non generatim deesse iustitiam, si quae repudia ex capitalis odii causa allegata & probata per iudicem decernantur, videndum porro, quo iure hodie, & maxime in foro Euangelicorum, regatur ista disceptatio? Parum ibi praesidii

fidii ex civilibus legibus, quae vix aliquantisper, ita ut superius monstratum, coercuerunt repudiorum licentiam. Sane vero quam maxime pronae sunt istae leges ad causas odii fere quascunque attendendas. Igitur iudex, siue sequatur naturalis, siue civilis iuris, solas rationes, parum habebit, quod moretur, habilibus terminis positis, suam sententiam. Status Romae primae, ac vetustissimae Germaniae, a me superius laudatus, factorum fideique summa religio Germanicae nationi quondam quasi propria reputata, (*Vid. ap. TACITUM Annal. Lib. XIII. cap. 54.*) denique monita praeceptaque Ecclesiae antiquioris, poterant forsitan cautiorem reddere iudicem, ne sine sufficienti cura iudicium properaret, nihil ceterum ista etiam iuris certi expeditique inferunt. Quid ita? Ad Canonici iuris tradita iudex confugiet. Iterum ibi auctoritate *Cap. 2. X. d. Sponsal.* paulo ante propositi, ablegabitur potius ad patientiam & tolerantiam, & arcebitur a feuerioribus decretis. Nec iudex in Ecclesiasticis Ordinationibus Euangelicorum sibi in decernendo ob implacabile odium repudio manus valde reperiet ligatas. Obseruantiam iudiciorum Ecclesiasticorum, & crebra praeiudicia, pro capitali inimicitia contra sponsalia pronuntiandi potestatem firmare ac stabilire deprehendet. B. BEYER. *ad CARPZ. Lib. II. def. 176.* Et hoc demum est, quod doctores communi suffragio asserunt, cum ius quodcunque fere magis faueat repudiorum ob odium permissioni, quam repugnet, *arbitrio discreti iudicis hoc dirimendorum ex odii causa sponsaliorum negotium committendum esse, ex rerum circumstantiis sumturo argumenta.* Ut post SANCHEZ. *d. Matrim. Lib. I. disp. 62. n. 3.* bene monet BROWER. *d. Iure Connub.*

G

Lib. I.

Lib. I c. 25. n. 9. Vid. etiam de hac causa CARPZOV. *Lib. II. Jurisprud. Eccl. d. 176.* BEYER. *ad CARPZ. d. l. def. 175. Perill. De BERGER d. l. §. 7. Ill. BOEHMER. Eccl. Jur. Lib. IV. t. 1. §. 165. & 168.* *Leguleiorum est, extremum laudatus Auctor addit, verba textus, in hac causa, ultra requirere aut vrgere, ubi sufficiens iuris ratio, qua iurisprudentia perficitur, adest.* Ergo Ecclesiastici potestas iudicis, haud secus in Catholicorum, quam Euangelicorum terris, re vera in nostro negotio certa lege non continetur, sed plane fere redacta est ad formam arbitrii, quod ea quidem prudentia moderari convenit, quam ceteroquin iudiciis arbitrariis lex & ratio praescribit. Et vt arbitraria priuatorum repudia coërcere, & iudiciali auctoritate firmiter continere, publicae salutis, & ordinis in re publica conseruandi, adprime interest, ita tamen forsitan magis peccaret iudex in seueriori causarum pro repudio adductarum examine, quam in earum benigniori, quae & ratione & lege sustinetur, aestimatione.

§. IX.

Inquirendum est porro in aliquod fundamentum circumspectae cognitionis & decisionis iudicialis in sponsalium ex causa odii capitalis separatione exposulata. Laudo cum *Illustr. BOEHMERO d. l. §. 168.* generalem a *BROWERO l. cit. n. 9.* propositam regulam, *tum esse repudio locum, quoties post constituta sponsalia eiusmodi aduenierit incommodum, quod repudiantem, si praescisset, a spondendis nuptiis sine dubio deterruisset.* Promissio enim honesta quaeuis tacitam conditionem complectitur, *Rebus sic stantibus*, quam nec in sponsalibus exulare fas est. Si quidem Pontifex omnino iuramenta matrimonialia ita inter-

interpretatur, ut non teneant, si quid commissum, quod iuramentum exceperit videatur. *Cap. 25. X. d. Iureiur.* Si ergo tanti superuenientis odii causa supererat, quae si praecuisa fuerit, nunquam sponsalia contracta forent, iustam eam repudii causam esse firmiter constituo. Quo maius scilicet incommodum ex subsequente matrimonio metuitur, eo, quod istud indissolubile est, magis praecaveatur, ne in illud mala gratia partes adigantur. Ut praeterea in reliquis sponsalibus, quae vocant conditionatis, hac cessante conditione, sponsalia utique pereunt, sic quo minus iudex tacitae conditionis effectum rite aestimare, & ex eo sententiam repudii capere queat ac debeat, dubium longe minus relinquitur.

§. X.

Odium quid sit, ex quo soluendis sponsalibus iusta nasci queat causa, declaratione multa vix eger. CICERO in *Tusculanis* odium vocat *iram inueneratam*, & paulo deinceps *discordiam ira acerbiolem, intimo odio & corde conceptam*. *Implacabilis iracundia* idem apud CICERONEM est, quod nobis *implacabile odium*, istudque ille adpellare consuevit *capitale odium*. Sane inde egregie patet, quod, cum amoris fundamentum sit animorum consensus, & ex amore uterque sexus ad contrahenda sponsalia conueniat, rursus plures euenire queant causae, ex quibus desponsatorum animi iterum dissideant, & ad separationem sponsaliorum, vel utrinque, vel altera pars singulatim, tendant. Odii utique ortus primus ex ira, quam alter contra alterum concipit. Prior gradus odii ex ira manantis est id, quod Romanae leges vocarunt *fribusculum*, & alioquin *iurgium*. Quae vocabula quidem in Roma-

no iure frequentata, si quando inter coniuges ortae sunt
dissensiones, ad diuortium exiturae. Modo *fribusculum*,
aut, quod alii malunt legere, *frigusculum*, (*Vid. BARN.*
BRISSON. d. V. S. v. Fribusculum) intercessit inter con-
iuges; modo illud iterum quieuit. *L. 32. §. 12. D. d. Donat.*
inter V. & Vx. L. 31. D. d. Iure dot. l. 27. D. d. Pactis dotal.
Nil refert autem, si inter desponsatos etiam subinde istius-
modi *fribusculum* ex ira suboriri, experientia teste, asse-
ram. Hoc vero *fribusculum*, an ad repudium & spon-
saliorum dissolutionem impetrandam villo casu queat suffi-
cere? haud inelegans quaestio est. Qui negant omnino,
capitalem inimicitiam desponsatorum iustam esse repu-
dii causam, quin illi maxime repugnabunt, quo minus
ex *fribusculo* iudex contra sponsaliorum validitatem vn-
quam pronunciare audeat. Facilis inde, inquit, re-
ditus ad animorum reconciliationem, tum inter coniu-
ges, & quidni inter desponsatos. Hanc in isto casu
reconciliationem discretus iudex omnino opera omni-
tentare ac moliri satagat. Cum repudiorum licen-
tiam ius nostrum arcte constringat, & aegrius locum fa-
ciat capitali odio in repudiis decernendis, aequè for-
sitan dubitem, *fribusculum* posse causam repudii fie-
ri. Sed suppetunt tamen rationes, quibus inducatur
quandoque iudex, vt ipsas adductas ex *fribusculo* ra-
tiones, si videantur capitale odium olim inter con-
iuges portendere, non negligat, sed probato demum
repudio ingens futurum malum prudenter auertat. Id
fluit quodammodo ex regula §. IX. proposita & adpro-
bata. Sane BROWER, *d. Iure Connub. Lib. I. c. 25. n. 56.*
eo magis in hanc sententiam migrat, cum vel solo omni-
no mutuo consensu apparente, posse & debere iudicem
facilem

facilem esse in soluendis sponsalibus evincat. Vnde & negavit, in isto casu repudio proprio opus esse, in quo quidem *ff. VI. dissensi*, & ipse in iis, quae sequuntur, Auctor paulo mitigavit suam sententiam. Quid ergo inquit. *Possuntne tamen, interposita magistratus auctoritate, ex mutua consponsorum voluntate sponsalia dissolvi? Ita iudico, & ita olim Synodus Dordracena decrevit. Nec video, cur adeo difficiles quidam sint, ut hoc negent: etenim licet quid de natura finis sui participant sponsalia publica, matrimonia tamen non sunt, sed via duntaxat & gradus ad nuptias; ut Deus nondum coniunxisse dici possit inexplicabili nexu, qui sponsores duntaxat sunt coniugii futuri. Deinde & melius est, mutato affectu utriusque consponsi, si infelix credatur futurum coniugium, ut sinat magistratus distraendas postea forte vel divorcio, vel lectuli & mensae separatione. Quam doctrinam BROWERUS laudat probarque III. BOEHMER. *Iur. Eccl. lib. IV. t. 1. ff. 162.* Vnde si vel fribusculum inter desponsatos ad plenam animorum disensionem tendere coeperit, posse inde repudio, sed tamen nunquam nisi publica auctoritate decernendo, occasionem nasci, & ipse concludo. Firmat hanc sententiam insigne iudicium Inclyti Dresdenensis Proto-Synedrii a B. BEVERO *ad CARPZ. Iurispr. Lib. II. d. 176.* In casu ibi proposito sponsa, ne vlla quidem idonea ratione reddita, testata odium in sponsum, & animi plenam ab eo auersionem. Causa dubitandi egregia, quo minus petito repudio fieret locus, suppetebat, quod essent sponsalia publica solennia, atque pura, nullaque appareret sponsae coactio, nec illa rationes redderet cuiusdam rite concepti odii, potius appareret, a sola matre deinceps*

inductam & persuasam abhorrere a contrahendis nuptiis. At praevaluere pro repudio decernendo firmiores decidendi rationes, quas praestantis praeiudicii gratia dabo in vernacula. Dennoch aber und dieweil die Braut einmahl einen unversöhnlichen Haß und Feindschafft auf den Bräutigam geworffen, dergestalt, daß alles Zuredens und Remonstrirens ungeachtet, sie mit ihme nicht ausgesöhnet werden können, diessennach ein: unglückliche Ehe zu bevorzgen, auch sonst dergleichen Inimicitiae capitales pro causa repudii sufficienti pflegen geachtet zu werden; Als erscheynet hieraus, daß gestalten Sachen nach, die: zwischen A. R. R. und J. B. D. getroffene Sponsalia hinwiederum zu cassiren, auch beyden Theilen sich anderweit Christlich zu verhalten zu verstaten und nachzulassen.

§. XI.

Odium ex ira desponsatorum proueniens, altiores cum radices egit, in regula sane non debet vacare idoneis, quas iudex caute examinet atque expendat, rationibus & causis. Quae modo nunc allata sunt, potius pertinent ad notabilem exceptionem, quam ad ius aliquod firmum stabilendum. Ceterum odium esse potest aliud simulatum, aliud verum. Simulato odio valde propinquus ille, quem proposui, casus existit. Sed fuere tamen rationes, ex quibus demum simulationis species euanuisse visa est. At magis simulatum odium apparet, quando constet, sponsae matrimonii melioris spem affulsisse. Tum, licet splendide a sponsa concepti odii rationes instruantur, prudens tamen iudex haud difficulter obductas discutiet nebulas, & ex vere simulato odio repudium concedere non patietur. Quod in simili causa mandat Pontifex

tifex *Cap. 28. X. de Sponsal. & Matrim.* Verum, nec simulatum, odium illud est, quando manifesto constat de odii iustis rationibus. Eae variae possunt esse, quae partim omnino tendunt ad nullitatem sponsaliorum modo in iudicio declarandam, nec adeo propria repudii sententia indigent. Vid. §. VI. & confer doctrinam III. BOEHMERI *d. l. ff. 183.* Eae esse metum sponsae iniectum, ut sponsalia iniret, probatum. Eae sponsam minis, verberibus, asperisque aliis remediis, vel ab ipsis parentibus, coactam, ut promitteret nuptias. Pone etiam insigni errore deceptum siue sponsum, siue sponsam, in sponsalia consensisse. Vtique illo nefario errore patefacto, qui si paruisset antea, nunquam, ut sponsalia celebrarentur, passurus fuisset, odium ut maximum oriatur, necesse est. Quod odium operatur, ut iudex nihil habeat, quod moretur diremptionem sponsaliorum, cum ex tali errore serius detecto omnino matrimoniis ex nullitatis capite dissolvendis nascatur occasio. Idem omnino dicendum de odio, ex metu & coactione ad sponsalia siue sponsi, siue sponsae, resultante. Iudex probato hoc iniecto metu, coactioneque declarata, eo minus dubitat sine mora sponsalia nulla irritaque declarare, cum iterum omnino matrimonia recte solvantur, metus, coactionis, indeque continuati in ipso matrimonii odii, probatis rationibus. Ita Consistorium Vitemburgense Mens. Jul. 1724 contra matrimonium, ex capite inflicti a matre metus, indeque post nuptias flagrantissimi odii, pronunciauit sententiae verbis sequentibus: *Daß die zwischen Beklagten und Klägers Principalen getroffene Ehe, gestaltten Sachen nach, und in Ansehen, daß diese ihren freyen Willen nicht darinnen gegeben, sondern von ihrer Mutter dazu gezwungen worden,*

den, vor null und unbindig zu erkennen, inmaassen wir sie hiemit dasür erkennen und erklären. *rc. Et in negotio alioquin adprime cognito superfedeo doctorum & praedudiciorum ampliori citatione. Vid, tamen CYPRAEVS d. Iure Connub. Cap. XIII, §. 14. sequ. & NICOLAI d. Repud. Cap. II. n. 14. sequ.*

§. XII.

Causae odii, quae nullitatem sponsaliorum non produunt, sed iudiciali auctoritate repudium dictandum prouocant, tot passim occurrunt, vt frustra iis ordine percensendis immerer. Igitur de quibusdam casibus singularibus & praedudiciis modo afferendis laborabo. Est vtrique iustissima odii causa, quando sponsus post rite celebrata sponsalia persentiscit, se a sponsa contentui haberi, & eam aliorum familiaritate suspecta vti frui. Non id poscet iudex discretus, vt sponsus manifesta indicia admissae a sponsa fornicationis producat & probet. Sed ipsi sufficet, dummodo pateat, admodum licentiosus moribus post sponsalia sponsam vixisse. Magnum ipsi momentum ad sponsalia dirimenda praebet, si sponsus fuerit vir grauis, conditionis honestioris, maxime si sit Clericali ordini adscriptus, cuius vita & familia merito toti gregi debet esse pro exemplo. Is casus Consistorio Vitemb. ante annos aliquot oblatu. Clericus quidam celebrauerat sponsalia publica. Postea quidem, fero nimis, sensit, sibi multa de honestate & fide sponsae credenti turpiter illulum esse. Rumores varii ad ipsum delati licentiosae a sponsa actae vitae, & prorsus abalienati eius ab ipso animi. Quid ageret nescius, protrahit & extrahit promissas nuptias, & vt posset liberari

ab

ab imminente periculo, omni opera nititur. Sponsa morae impatiens vrget sponsum, dissimulat animum infidum, & cum ex nuptiis sequuturis amplius pallium forte libidini suae quaereret, sponsum denique coram Ecclesiastico senatu conuenit, & vt ad nuptias iudiciali sententia cogereetur, contendit & eo adspirauit. Post acta multa transacta, non visus adhuc satis, & aegre semiplene Clericus probasse exceptiones odii sui contra sponsam concepti. Ergo, quod res videretur mali exempli, si firma alioquin sponsalia dirimerentur, maxime cum sponus esset in vita Clericali constitutus, pro matrimonio potius, quam contra illud, pronunciare decreuit Vitemb. Consistorium M. Sept. 1721. Adeo haud leuibus ex rationibus sponsae dictare placuit purgatorium hac formula: *Würde Klägers Principalin, nach vorhergehender scharffen Verwarnung für der schweren Straffe des Weineyds, sich vermittels Eydes reinigen, und daß sie sich weder mit dem Studio N. N. noch dem vormahligen Stadt-Schreiber N. N. fleischlich vermischet, und Unzucht getrieben, schwören, inmaassen ihr vor allen Dingen zu thun oblieget, so hat Beklagter dasjenige, so er zu beschleunigen sich angemaaßet, nicht beybracht, derowegen derselbe, nach Inhalt des vorhandenen Rechts-kräfttigen Urthels, mit ermeldter Klägerin die Ehe, vermittels Priesterlicher Copulation, zu vollziehen schuldig. At licet Leuteratione reiecta, prouocauit grauatus ea sententia Clericus ad Potentissimum, & rectius deductis iustissimis sui odii in sponsam concepti rationibus, allatis etiam pluribus testimoniis, ac adeo causa sua fauorabiliori redita, obtinuit demum in Supremo Dresdensi Iudicio Prouocationum reformatariam & a sponsalibus duplicem abso-*

absolutoriam: M. Augusto 1722. & M. Ianuar. 1723, formulis hifce: Würde Appellantens Principal vermittels Eydes erhalten, und daß er zu der Zeit, als er sich mit N. N. in ein Ehe: Gelöbniß eingelassen, von einer unanständigen und verdächtigen Conuerfation derselben mit Manns: Person keine Nachricht, noch Wissenschaft gehabt, solches auch, und insonderheit dasjenige, so er - - - diesfalls angeführet, erst dazumahl in Erfahrung gebracht, und weder zur Zeit des fol. und des fol. eröffneten Urthels gewußt, sowohl solches gefährlicher Weise nicht angegeben noch erdichtet, und die Zeugen, davon etwas auszusagen, beredet und verleitet, sondern daß solches gegründet seye, gewiß glaube, ingleichen deswegen ** eine wahrhaftige *Auersion* und Abscheu gegen sie habe, schwören, so ist wohl appellirt, und Appellatens Principalin zu dem - - - erkändten Eyd ferner nicht zuzulassen, jener auch nunmehr mit ihr die Ehe vermittels Priesterlicher Copulation zu vollziehen nicht schuldig, V. R. W. Daß es, ein gewandter Lenkerung ungeacht, bey unserm jüngst: eröffneten Urthel billig bleibet: V. R. W. Quem casum libuit ex ipsis Actis eo curatius exponere, quoniam, vtut Consistorium Vitemb. primum pro statu actorum iuste iudicauerit, prudentissimis sane rationibus deinceps placuit, pro repudii ex capite odii impense postulati iustitia curatius exquisita diuersam ferre sententiam.

§. XIII.

Potest contingere, vt sponsus litteras sponsae intercipiat, ex quibus, quam male sponso, cui nubat, cupiat, patefcat. Vnde quin iustissima odii causa resultet, nemocum ratione dubitat. Casum istiusmodi *Illustr.* BOEH-

MER.

MER. *Iur. Eccles. Lib. IV. tit. 1. §. 169.* exposuit, ubi sponsa, post inita cum veterano quodam sponsalia, iuueni cuidam, in illius mox speratum obitum, pendentibus adhuc sponsalibus, matrimonium futurum promisit, & captauit adeo mortem sui sponsi. Quid ibi aliter iuste pronunciauerit iudex, quam cum tanta perfidia non posse non sponsi odium haberi pro iustissimo, & sententiam repudii iure meritoque exposcere? Ita testatur Auctor, se in casu commemorato absque vlla haesitatione pro repudio admittendo respondiisse. Quod solide rationibus firmiter responsum, vt euoluatur & legatur, vtique interest. Addit Ill. Auctor, inter rationes decidendi, *in omni desponsatione tacita subest conditio, si sponsa in legem conubii non peccauerit, nec contra regulam desponsationis venerit, quo facto etiam iurata sponsalia dissoluantur. Cap. 25. X. d. Iureiur.* B. STRYK. *d. Diss. Sponsal. S. II. §. 27. p. 70. fin.* Neque tantum illa fidem sponsaliriam frangit, quae stuprum paritur, sed etiam, quae fidem alteri in casum mortis dat. *Arg. Cap. fin. X. d. Eo, qui duxit in matr. quam poll. adulterio.* Ex quibus rationibus quaedam a me anteoccupata sunt §. IX. Iterum iusta odii causa, si exempli causa sponsus sponsam minis verberibus excipiat, si graui eam affecerit iniuria, si tam imperiose eam tractauerit, vt mancipii instar eam in posterum habiturus videretur. BOEHMER. *d. l. §. 163.* BRYKNER. *Decis. Matrim. Cap. I. n. 59. p. 53.* Qui extremum laudatus Auctor *d. l. p. 72.* duplex praeiudicium addit, quod ob iniurias grauiore in Fridensteinensi Consistorio sponsalia dissoluta sint. Addita sequens decidendi ratio: *Quia postea inter actorem & ream, eiusque matrem, * occasione sermonum aculeatorum & suspectorum, * dissensiones & rixae ortae sunt, per quas tandem * animus*

reae ab actore plane abalienatus est, ita vt promissis stare, & coniugium consummare renuerit: & postea: Exacerbatio & abalienatio animorum semper creuit, adeo vt rea aliquoties dixerit, se mari malle, quam cum actore viuere: denique addita clausula: Consideratione harum & aliarum circumstantiarum sponsalia inter has personas vi huius sententiae rescinduntur. Quo pertinet alia ab eodem Auctore p. 73. producta sententia: Quamuis sponsalia in se rata sint, ex circumstantiis tamen apparet, quod propter rixas & verbera inter contrahentes reciproca in posterum pacificum coniugium non sperandum, sed maiora subinde mala metuenda sint. Quapropter sponsalia haec inter eos rescinduntur, & vtrique parti alia coniugia ineundi facultas datur. Perill. Nob. Dom. DE BERGER Oecon. Iur. Lib. I. tit. 3. §. 7. p. 110. Semper satius esse, prouide & prudenter docet, sponsalia ex causa eiusmodi inimicitiarum dirimi, quam cum metu infelicis matrimonii consummari: addito: Quam sententiam hodieque Consistoria Ecclesiastica diligenter sequuntur. Ita F. Vitemb. respondit M. Nou. 1701. Huc pertinet contemptus sponsae, & sollicitatio nouorum sponsaliorum, wenn der Bräutigam sagt, er schiere sich nichts um die Braut, verlangte sie auch nicht, hätte schon eine andere, ingleichen N. zu N. abgeschicket, und diesen um seine Tochter zur Ehe anhalten lassen. Ita Consistorium Vitemb. pronunciauit M. Jun. 1710.

§. XIV.

Forfitan odium inter desponsatos resurgit inde, quando sponsus atrox crimen commiserit, ideoque delictum istud grauissima infamique poena luendum fuerit. BROWER. d. Iure Connub. Lib. I. c. 25. n. 38. Non cogenda est puella infami nubere, quae sibi integrae famae sponsum despondit,

dit, cum bonum nomen vitae comparandum, & civilis vita aestimandum sit, quod viro honesto magis in pretio habetur, quam ipsa, quam vivimus, vita. Distinctione quadam criminum vsus quidem CARPZ. *Lib. II. Jurispr. Confess. Lib. II. def. 178.* & fere in eo fuit, vt argumento *Cap. 2. X. d. Diuort.* quod matrimonium ob mariti crimen non dirimatur, negaret in criminibus fustigatione minoribus repudium sponsaliorum habere locum. At recte refutauit eum *III. BOEHMER. d. l. ff. 180.* non ad criminis qualitatem, sed ad iustam odii inde suborti causam, sponsaliorumque intentionem, respiciendum esse demonstrans. Et quod reperio, B. BEYER. *ad CARPZ. d. l.* diserte, adductis praeiudiciis quibusdam, commemorat, CARPZOVII doctrinam in Consistorio Supremo non probari, sed quaecunque delicta infamiam contrahant, ea pro iusta repudiorum causa vtique haberi. Cuius decisionis ratio nulla aequior, quam, quod iustum sit odium, quod contra delicta exerceatur. Odio coniugum potest esse causa iusta, & adeoque repudio locum facere, alterius partis admissa fornicatio. Quae an ante, vtrum post sponsalia, facta sit, si modo demum alteruter post sponsalia in istiusmodi noticiam facti peruenerit, habetur perinde. Negat quidem *III. BOEHMERVS l. cit. ff. 181.* hanc odii causam exaudiri, cum vterque desponsatorum fuerit in pari reatu. Contra SANCHEZ. *d. Sacram. lib. I. disp. 55. n. 9.* non vtrobique aequale damnum adesse, & ita compensationem iniquissimam fore, statuit. At si fiat, vt vterque desponsatorum mutuam odium contra se inuicem ex tali causa conceperint, nae fecerim vtique magis cum SANCHEZIO, saltem praegnantibus circumstantiis rei simul vrgentibus.

§. XV.

Quid si sponsa conqueratur, sibi a sponso stuprum inferri tentatum, aut omnino illatum, indeque infensiori odio sponsum ea prosequatur? Et hanc causam odii a iudice non reprobendam, saltem repudio locum faciendum, cum honestioris famae sponsa fuerit, constituo. Quem casum praecudicio firmare mihi quidem non datur. At ratio §. IX. adducta, pro hac etiam stat causa. Si sponsa stuprum passa, vel ante contracta sponsalia, quod sponsum nesciat, maxime vero post sponsalia, quo minus ea omni iure separentur, nulla subest dubitatio. Et ita doctores, multaque praecudicia habent. CYPRAEVS d. Iure Connub. Cap. XIII. §. 48. Et BRVCKNER, in Decis. Matrim. Cap. I. n. 60. p. 54. repudium a iudice decerni constituit, ob fornicationem sponsae praesumptam, licet sufficientibus coniecturis non fuerit probata. Cuius decisionis plures doctores patronos laudat. Enimvero ponam casus, quando sponsa ab alio rapta ac vitiata fuerit, an sponsum praetenso odii capitalis argumento erit audiendus? Vtroque casu iudex dabit operam, ut sponsum dehortetur, ne hoc sponsae infortunio a fide data dimoueatur. Sed sponsum nolens, & professus odium erga sponsam, si ea omnino vi fuerit compressa, a repudio nulla sententia arceri potest. Ita Toletanum Concilium sanxit in Can. 33. C. 27. qu. 2. & item in c. 34. C. ead. Quod si rapta quidem, non vi compressa sponsa, doctores dubitant sponsum dimittere a sponsalibus. Quidni enim sponsa iuramento posset, quod non vitiata esset, asserere? CYPRAEVS d. l. §. 49. Probe monent alii, quandoque audiendum sponsum, si nulla possit ratione adduci, ut sponsam licet inno-

innocentem recipiat. BOEHMER. *l. cit. f. 183.* Casus memorabilis ad causam nostram pertinens, aliquando obigit in Anglia. Sponsus aliquis elegantissimam puellam sibi publice desponsauerat. Audito quod iuuenis diues magnam vim pecuniae promiserit, si ea liceret vel semel potiri, egit cum isto per amicum, vt ei spes potiundi fieret, si illam pecuniam numerasset. Libidinosus ille paciscitur concubitu per alium, & sponsa a sponso ipso precibus minisque permouetur, ne desit occasione tantam pecuniae vim lucrandi. Sponsae autem promissum, non ipsi vim iri illatum, modo simularet amorem, & accepta pecunia illum iuuenem in lectum admitteret. Ita scena enim parata erat, vt dicta hora laterent sponsus & amicus in secretiori conclauis loco, & vim illaturum armis a vi prohiberent, saluaque sponsae pudicitia lucrarentur pecuniam. Aliter vero res cecidit. Ille iuuenis clam sclopetis armatus accessit ad conclauem sponsae, & ex conducto blanditiis simulatis exceptus est. Continuo ille vim auri effudit in mensam, & quae pactus, sponsae tradidit. Postea autem, cum dolos fortassis praesensisset, aperit bombardas, & manibus eas tenens necem paratissimam atroci vultu sonoque minatur, si quis ausus eius turbare libidines. Inde sponsa vi a iuvene, spectante sponso & socio, qui metu percussus ne hiscere quidem ausi, inter crebros eius eiulatus compressa & vitiata. Quo peracto surgit stuprator, & exprobrata ipsi sponsae & latentibus extrema perfidia colligit aurum suum, & se propriam domo. Ibi sponsa acerbissime lugere, ac sponsum meticulousum detestari. Quid hic vero? Omni modo videtur fuisse puniendus, & maxime ad nuptias celebrandas cogendus. Nam quod sponsa misera virginitatis iactu-

iacturam passa, soli culpae stolidissimi sponsi debuit. Fa-
ma vero fuit, & sponsum post execrabile tale factum nulla
ratione potuisse commoueri, vt vitiatam sponsam duce-
ret, odium in eam implacabile professus. Ita paulo de-
inceps moerore confecta sponsa obiit, memoriamque ca-
sus post se reliquit, cuius ius non minimis vsquequaque
patet dubitationibus.

§. XVI.

Post tragicum casum descriptum, an odium iustam
repudiandi sponsam causam asserat, quando formosa vir-
go ex variolis faciem quam maxime deturpatam, ita vt
sponso horrorem incutere possit, acceperit? quaeritur.
Circa propositam causam, haeret aqua doctoribus. Cum
SANCHEZIO *d. l. n. 25.* plures affirmant quaestionem,
ratione producta ex *§. IX.* quod res non durauerit in sta-
tu eo, in quo ab initio sponsaliorum fuerit. Plures neg-
ant quaestionem, quod sit aequior negatiua, & sponsae
haec deformitas citra culpam obuenerit. NICOLAI *d.*
Repud. Cap. II. n. 130. Mediam amplexus sententiam B.
STRYK. *d. Diff. Sponsal. S. II. §. 42.* & cum eo III. BOEH-
MER. *d. l. §. 176.* Distinguentium putant inter deformi-
tatem, quae cuilibet horrorem incutiat, & minorem pul-
chrae faciei deprauationem. In priori casu, si res stete-
rit, sponsum audiendum, cum renuat nuptias cum dede-
corata sponsa contrahere. In altero casu non facile adeo
iudici licere repudium decernere. BROWER. *cit. l. n. 37.*
ita rem edisserit: *Puella pulchra desponsata fuit, vt solo ad-
spectu futura esset suo marito perpetua oblectatio: Quae ergo
ratio, vt ad deformem factam accedere cogeretur inuitus?
Ego hic multum arbitrio & prudentiae iudicis committen-
dum*

dum cenſeo, ex qualitate, dignitate, & fortuna perſonarum diuerſa, aequam ſententiam daturi. Cui ſententiae ſobriae addo calculum. Etiam odium ex ſuperuenienti alterutrius partis grauiffimo fonticoque, aut contagioſo morbo, exempli gratia, Gallico, quod vocant, oriri poterat. Horrorem forte teſtantur ſponſus ſponſae, & repudium dici iudicium ſtagitant. Indulget Papa iudici poteſtatem, in caſu tam graui, vt ſponſus eum ſuſtinere non valeat, vel iurata dirimere ſponſalia. *Cap. 25. X. d. Iureiur. Num quid vir teneatur eam paralyticam, vel oculis, vel naſo ex morbo muſtatam, ducere in uxorem? proſecto ductam non poſſet dimittere. Sed num quid non ductam admittere teneatur? quamuis interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum.* Adde GONZALEZ. *ad c. 3. X. de Coniug. Leproſ. n. 8.* Quaeue diſputent, quamque conſuſe doctores de morbis, qua repudiis occaſionem praebent, diſquirant, videſis copioſius excuſſa a *Dn. BOEHMERO d. l. ſ. 174. 176.* Qui etiam, quae de furore ſue ſponſi, ſue ſponſae, ciuiles leges & doctores attulerunt, expedit. Quae moror eo minus, quia ceſſet in furore odium, & incipiat miſericordia, licet non minus, ſponſalia ob talem furorem recte diſſolui, expediti iuris ſit. Reſpectu morborum BRUCKNER. *cit. l. ad n. 62. p. 74. ſq.* octo adducit praeciudicia, ſecundum quae permiſſa a Conſiſtorio Fridenſteineniſi repudia partibus. Eiusmodi etiam binas ſententias Proto-Synedrii Dresdenſis aſſert BEYER. *ad CARPZ. Lib. II. deſ. 180. 181.* In altera ſententia ſponſalia dirimere placuit, quod ſponſus tam morbidus factus, vt plus tumultum, quam thalamum reſpiceret. In ſecunda ſententia ratio decidendi dicti repudii idonea haec adducta: *Dennoch aber und dieneil*

E

hiezu

hiezü kommt, daß der Bräutigam einen offenen Schaden am Schenckel (paulo supra einen übeln Geruch aus dem Halse,) hat, welches für ein Malum haereditarium gehalten wird, hiernächst die Braut * keine Liebe zu ihm trägt, und Sponsus sich bereits erkläret, sich zu ihr nicht zu dringen, auch eine unglückliche Ehe zu besorgen, als erscheinet, daß das zwischen N. N. und N. N. getroffene Ehe: Geslöbniß gestalten Sachen nach hinwiederum zu cassiren und aufzuheben &c.

§. XVII.

Dissertatio mea abiret in librum, si omnes reliquas causas, vnde odium inter desponsatos & inimicitia nasci queat, & resultare inde repudium, percurrem. Iactura bonorum, quorum intuitu sponsus sponsaque sponsalia celebrarint, fribusculum, & ex eo inimicitiam facile commouet. Quae an & quomodo inducere queat iudicem, vt petenti parti permittat repudium? de ea quaestione erudite disceptant BROWER. *l. cit. §. 41. sq.* & BOEHMER. *d. l. §. 177.* Extremum laudatus auctor auget casus, & si sponsus post sponsalia dimissus fuerit ab officio, cuius intuitu puella vnice & primario inducta fuerit, vt de nuptiis futuris fidem daret, eamque nunquam dedisset, si casum talem praecidere potuisset, recte iudicet, & hanc causam odium sponte producere, & infelix coniugium portendere, vt adeo iudex, circumstantiis accurato iudicio ponderatis, repudium concedere non prohibeatur. Poterat idem affirmari, si ob mutatam post sponsalia religionem sponsus sponsam, aut haec illum, odio magno persequatur. Demum forte adhuc incido in praecudicium Fridensteinensis Consistorii productum

ductum a BRVCKNERO *l. cit. p. 72.* Ex quo libet rationes decidendi egregias exscribere: Quia tamen per rixas, inter sponsam H. & sponsi R. forem ortas, utramque desponsatarum personarum animi ita exacerbati sunt, * et spes quieti coniugii nulla supersit, propterea, ad praecauendum maius malum, ambo ratione coniugii inuicem separantur, illisque permittitur ad alia vota in timore Domini transire. Ex quibus patet rationibus, interdum per aliorum rixas quoque odia inter desponsatos exoriri, quibus motus iudex discretus de repudio statuendi liberum non minus sortiatur arbitrium.

§. XIII.

Post materiam iudiciorum de repudiis, quae quidem in causis capitalis inter desponsatos odii emergunt, redeo paulisper ad id, ut post dicta *ff. VI.* adhuc porro commemorem, contra quae sponsalia odii exceptio in iudicio attendi mereatur? Iterum mire discordant doctorum sententiae. Sunt qui prorsus negant, locum fieri posse repudiis ex odio quaesitis in sponsalibus de praesenti, & tantum ea permitti in sponsalibus de futuro. Est ingens vero in his terminis coorta confusio, de qua, quantum memini, nemo accuratius disseruit, quam III. BOEHMER. *Iur. Eccl. Lib. IV. tit. 1. §. 1. sequ.* Quaedam tamen iam anteoccupata ab Illustri THOMASIO in *Comm. ad LANCELLOT. Lib. II. tit. 10. p. 791. sq.* Sponsalia in Romanis legibus, qua mentionem & repromissionem futurarum nuptiarum designant, *L. 1. D. d. Sponsal.* sunt ea, quae Canonicum ius vocat de futuro. Et superaddidit Canonicum ius sponsalia de praesenti, ubi verba de praesenti requiruntur, quorum quidem, quicquid doctores

E 2

plures

plures asseruerunt, ius ciuile prorsus ignarum est. Haec sponsalia de praesenti iure Canonico quasi ipsum matrimonium designarunt. *C. 14. X. d. Conuers. Coniug. C. 22. & 31. X. d. Sponsal. & Matrim.* Quod placitum est Ecclesiae, vt eo magis non matrimoniorum solum, sed & sponsaliorum, causae ad Ecclesiasticum forum traducerentur. Hoc praetextu statuit Pontifex, posse quidem, mutuo partium consensu interueniente, sponsalia de futuro a iudice dissolui, sed sponsalia de praesenti, quippe eandem vim cum matrimonio habentia, esse indissolubilia. *C. 31. X. d. Sponsal.* Abusum in hac decisione *L. 15. D. d. Condit. & Dem.* in qua Ictus dicit, *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*, intercessisse, nemo est, qui non videret. Reprobauit quidem absolutam Canonistarum sententiam de his sponsalibus de praesenti B. LUTHERVS in libello **von Ehe-Sachen**, vt non tamen effecerit, vt in Evangelica Ecclesia Canonici iuris definitiones exularent. Verum manifesto patet, quod alioquin vix credibile videatur, nostros doctores retentis Canonici iuris vocabulis, ipsam rem minime retinuisse. Nam sponsalia sua de praesenti intellexerunt de sponsalibus puris & propriis, contra autem sponsalia de futuro de conditionatis, aut magis omnino de tractatibus sponsalitiis. Quod egregie declaratum dedit Dn. BOEHMER. *d. l. §. 34. sq.* Et breuius quidem, sed perquam solide eandem causam pertractauit *Illustri Consistorii nostri Director & Ordinarius meritisimus Dn. WERNHER. in Princip. Iuris Eccles. Cap. XIII. §. 6. sq.* Licet igitur re ipsa plane pleneque abcesserint doctores a Canonici iuris decretis de sponsalibus de praesenti, retento tamen nomine, subinde conclusiones Canonici iuris miscent, & in alienum negotium per insidiam

gnem errorem inferunt. Quarum corruptelarum varia exempla congeffit BOEHMER. *d.l. §. 42. §.* Indeque est, quod, uti supra monui, non pauci doctores cum Pontifice praefraete negent, locum esse repudiis contra sponsalia de praesenti. Meminisse autem oportebat, nos re vera nulla sponsalia de praesenti, Canonici iuris sensu, ultra agnoscere, & quae eo nomine compellamus, esse sponsalia de futuro, quibus Pontifex nullum dubium movet, quin possint a iudice ob idoneam causam dirimi. Missis igitur ambagibus ad meum institutum non pertinentibus, cum doctoribus cordatioribus fidenter assero, repudia ex allegata & probata capitalis inimicitiae causa non tantum locum habere in illis sponsalibus, quae nos de futuro vocamus, quorum ratione nemo dubitauerit, cum ista ultra modum sponsalitorum contractuum non ascendant; sed procedere etiam aequè in nostris sponsalibus de praesenti, quae alia non sunt, quam Pontificis sponsalia de futuro, in quibus idem citra haesitationem dissolutionem admittit. *C. 31. X. de Sponsal. & Matrim.* Sintne ergo nostra sponsalia de praesenti vel pura, vel conditionata, praetereaue publica & solennia, parum id refert, cum ratione nulla, & ne quidem Canonici iuris auctoritate, ab istis nostris sponsalibus de praesenti repudia, si iustae odii affuerint rationes, abesse queant. Quippe de istis omnino nunquam foret dubitatum, nisi, solo fere genere Canonici iuris sponsalium de futuro servato, & repudiato prorsus genere Canonici iuris sponsaliorum de praesenti, libuisset tamen doctoribus nostris erroneo instituto, aut oscitantia satis crassa, decreta Canonici iuris de sponsalibus de praesenti, nostris sponsalibus adplicare, aut potius affingere, quae de

praesenti quidem audiunt, sed vnice hodie sunt de futuro.

§. XIX.

Quodsi ipsa sponsalia de futuro carnalis copula consequitur, ea transire in matrimonium, ex Canonici iuris decretis manifestum est. *C. 15. 30. & 32. X. d. Sponsal. & Matrim. C. 6. X. d. Condit. appos. in Desponsat.* An ergo hoc casu adhuc audiendus exceptione odii implacabilis, qui fatetur concubitus, vt a iudice sententiam de repudio sperare queat? Doctores communiter negant, quia quae sponsalia in matrimonium transuerint, indissolubilia sint. At insignis ibi principii petitio latet, qua obseruata frustra dubitatur, quin causa idonea odii prolata etiam is sponsaliorum dissolutionem impetrare debeat, qui cum sponsa concubuerit. Nempe id frustra iactatur, quod cum sponsalibus aliud obster vitium, solus concubitus fecerit ea transire in verum matrimonium. Quod partus ex tali concubitu sequuti fauore forsitan recte statuitur, id non detorquendum in odium eorum, qui quidem post sponsalia concubuerunt, sed ineuitabili casu maximas odii causas deinceps acceperunt. Vtique vero in casu tali iudex, quanta magis poterit opera, laborabit pro matrimonio. Quod tamen, si partes prorsus detrectauerint, & infelix futurum matrimonium esse apparuerit, non video, cur a repudio decernendo iudex vltra abstinere debeat. De quo item *III. D. WERNHER. d. l. ff. 14. 61. & 62.* praeclare suam sententiam exposuit. Sed quid si sponsalia publica confirmata iureiurando, cum omnibus contra ea exceptionibus recunctatum? Nec tum adeo arceri partes puto, vt non odio graui superueni-

ueniente separationem impetrare debeant. Namque iurisiurandi religio iterum intelligitur cum clausula *Rebus sic stantibus. C. 25. X. de Iureiur.* Nec renunciatio exceptionum solennis, aut transactio partium, ad casus, qui aegre praeuideri potuere, quales sunt causae implacabilis concepti odii, iuste protendenda est. Quae uero haecenus.

§. XX.

Igitur nihil demum superest ad argumentum meum de iure repudiorum circa sponsalia ex odii capitalis causa impugnata, nisi ut breuissime de rationibus quibusdam processus in repudiis statuendis hodie usitati disquiram, cuius materiae multa quidem sunt inter causas odii implacabilis, cum praeiudiciis quibusdam, a me ante occupata. Illud expediti & aperti iuris est, in matrimonialibus, ad quae sponsalitia lites utique pertinent, simpliciter, & de plano, & sine strepitu ac figura iudicii, procedi. *Clement. Dissendiosam, 2. d. Iudiciis.* Licet ergo oretenus tantum actum sit a partibus, nec libellus oblatum, etiamsi in scriptis nihil proponatur, causa tantummodo alioquin curate cognita, definitiue pronunciari poterit. *CYPRAEVS d. Iure Connub. P. II. c. 9. n. 1. NICOLAI d. Repud. P. II. c. 6. n. 1. sq.* Idque adhuc in nostrae Saxoniae Ecclesiasticis iudiciis seruandum, *O. P. R. App. §. 11. p. 301* diserte mandauit, licet ibi alioquin ordinariarum & summariarum causarum differentia noua lege prorsus fere antiquata fuerit. A cautione quidem pro expensis, nec in causa nostra, actores aut astrices, liberari, ex *O. R. P. ad Tit. XIII.* generali dispositione patet. Facilius tamen hic, quam alibi, licet non sine praescriptis conditionibus,

bus, ius pauperum conceditur. Quod CYPRAEVS *d. l.* afferuit, plane non admitti exceptiones cautionis, frustra est in nostro foro. Praeterea licet pro se, & in propria causa, postulare foeminis Romana lege non prorsus fuerit prohibitum, *L. 1. §. 5. D. d. Postulando.* non id tamen adeo in repudiorum causa generale est, prout CYPRI & NICOLAI *d. l.* statuunt. Sane in nostro foro foeminae prope nec hic locus est absque curatore in iudicio comparandi, nisi in primo termino, & dum inter partes reconciliatio tentatur. *O. P. R. ad Tit. HX. §. 3.* Postea curatoris constitutione, & si ad processum res deueniat, legitimatione aduocati, utique opus. Ut adeo restrictio idonea ponenda sit doctorum asserto, quasi omnis legitimatio personarum exulet in repudiorum causis. NICOLAI *d. l. n. 13. sq.* Ceterum partium reconciliationi eo magis in nostro negotio studendum, quoniam in eo multum imperfecti iuris vertitur, & eo magis partes animis inter se dissidere & abalienari consuevere, quando res peruenerit ad legitimam discussionem. Proinde est prudentis iudicis, non semel, sed & altera vice, imo si opus videatur pluries, cum praesentibus partibus, siue coniunctim, siue singulatim, etiam aduocatis & curatoribus remotis, agere, & maxime quidem pro firmitate sponsaliorum & pro matrimonio laborare, ut si tamen nulla reconciliationis spes appareat, nec diu nimis transactionum remedia protrahantur. *C. 2. X. d. Sponsal. & Matrim.*

§. XXI.

Reconuentioni in sponsalicio dissensu in iudicium adducto, secundum doctores vix vnquam locus datur. BERLICH. *P. I. concl. 19. n. 8. concl. 20. n. 8. NICOLAI d. l. n. 6.* Si pronuncietur

cietur enim pro iustitia odii contra sponsaliorum validitatem, ea fere in sententia parti statim assignantur, quae videntur iuste ab ea postulari. Sed interuentioni in nostro negotio frequens nascitur occasio. Ponē iusti ac capitalis odii exceptione se tueri conuentum ex sponsalibus, siue posterioribus, siue prioribus, poterit ibi sponsa, quae vel prius, vel posterius, cum eodem contraxit sponsalia, interuenire, & facilius, vt odiosa sponsalia dissoluantur, & licet reseruata poena duplicis desponsationis, suis nuptiis sponsus addicatur, obtinere. Quam causam interuentionis in supremo Dresdensi Consistorio saepius intercessisse, & probato fortiori iure interuentis, in iudicando attendi consueuisse, testatur NICOLAI *d. Repud. P. II. c. 6. n. 8. 9.* hac adiecta pronunciandi formula; Und wird Interuenienten (oder Interuenientin) mit Klägern (vel Bekl.) die Ehe durch Priesterliche Copulation zu vollziehen billig verstatet und nachgelassen, inmaassen wir solches verstaten und nachlassen zc. In probatione odii implacabilis parti iniuncta, ex communi iure probationum omnia peraguntur. Sed quantum ad probationem subsidiariam per iurisiurandi delationem attinet, multa subest doctorum ac fori disputatio. Sunt plurimi, qui prorsus negant, admitti iuramentum contra matrimonium, licet ei pro matrimonio nihil obstat. Ita liceret alleganti causas impensioris odii, & inde sponsaliorum diremptionem exoptulanti, super istis causis alteri parti libere deferre iuramentum, quia eo praestito pro matrimonio staret iudicis sententia. Contra vero non valeret delatio iuramenti, vbi eo praestito sponsa sponsusue liberandi forent. Prouocant, qui huius sunt sententiae, ad trans-

F

actio-

actionem, quae nunquam valida sit contra matrimonium. Addi poterat, quam obiectionem suppleo ex meo, quod eo modo, cum parti per iuramenti delationem esset integrum alteram partem liberare sponsaliorum nexu, ad priuatum quodammodo arbitrium repudia rediisse viderentur. Namque posset fraus interesse, vt consentientes in repudium hac arte eluderent iudicis sagacitatem. Infirmiora quidem sunt, quae pro hac opinione vulgo de spiritali caractere sponsaliorum admiscuntur, a quo Pontificio dogmate merito abstinent prudentiores. Interea praxin plurium Consistoriorum & Facultatum in his partibus esse constat. Quid ergo? vbi ea sententia vsu recepta est, valeat. Modo prudens & prouidum illud votum & monitum est *Perill. Dom. DE BERGER. Oecon. Iur. Lib. IV. tit. 25. §. 5. n. 16. p. 106. Velim iudices Ecclesiastici id diligentius paulo attendant, eamque opinionem, pene dixerim, corruptelam, quae in animis hominum inueterauit, atque in foro quotidie obseruatur, euellant tandem aliquando, penitusque deponant. Ipsi ita videtur, non tantum licere in eo casu, vbi concubitus accesserit, super matrimonio in sensu negante, id est, ab aiente neganti iusiurandum deferri: quod sit pluribus etiam Facultatis Vitemb. praeiudiciis firmatum: sed omnino rectius simpliciter, atque adeo etiam extra casum concubitus, pro iureiurando iudiciali aduersus matrimonium esse pronuntiandum. Quid satius sit, iuramentum negatiuum admitticontra matrimonium & sponsaliorum valorem, quam, cum desint alia probationis a Iminicula, statim, cum partium ineuitabili calamitate, pro matrimonio, aut etiam, impuni dimisso negante,*

citra

citra eius conscientiae tentamen, aduersus matrimonium pronounciari? Mihi utique rationes supra adductae, quo minus valere possit iuramentum negatiuum contra sponsalia, facile elidi posse videntur. A transactione ad iuramentum tuta non valet conclusio. Facilius longe contra iuramentum transigitur, quam iuratur. Nemo sane tam aeternae salutis prodigus futurus, vt temere iusiurandum praestet. Ceterum nemo negat, quod transactio iudicialis valere queat contra matrimonium, si quidem dubitetur, an illud vnquam sit contractum. Liberi partis arbitrii nulla nota, cum iudice iusiurandum delatum probante, & parti imponente, quasi necessario iurat. Ergo in nostra causa putem, reum aut ream, cum exceptiones implacabilis odii opposuerint contra sponsalia & actionem matrimoniam, posse & debere admitti ad iusiurandum, quod actor aut actrix in replica, vt negotium propere expediant, ipsis detulerint. Verum priuatam hanc meam disquisitionem vsuali aut authenticae interpretationi aut decisioni lubens submitto.

§. XXII.

Non fere minor subest dubitatio, an iuramenta necessaria, suppletorium aut purgatorium, iuste contra matrimonium ad finem obtinendi repudii parti a iudice per sententiam iniungantur? In hoc momento vero plures doctores, cum praxi communiore, utique pro affirmatiua faciunt. Ita in casu §. XII. proposito Summum Prouocationum Iudicium nil contra matrimonium dubitauit suppletorium reo dictare. Visum ante Consistorio Vitemb. diuersum, & rati iudices, actricem ad purgatorium

torium de veritate & pro matrimonio potius, quam reum ad suppletorium de credulitate contra matrimonium admittendum esse. Sed reus, qui in exceptionibus prolati magis quam semiplene causas & fundamentum implacabilis contra sponsam conceptae inimicitiae probasse visus, utique nunc etiam de veritate super odio implacabili asserto iuravit. Purgatorium iusiurandum saepe saepiusque contra matrimonium parti imponi, restantur praecidia Inlyti Proto-Synedrii Dresdensis a B. BEVERO ad CARPZ. *Lib. III. def. 45. 49. & 51.* producta. Attamen *Decisio ELECTOR. LXXXI.* fere in contrariam partem concessisse, & mandasse quibusdam visa, ne facile hic purgatorium parti, cum desint idoneae praesumptiones, iniungatur. At puto, adiectam rationem, *ne levis nota foeminae per libidinosos complexus adspirent ad nuptias*, non tam id velle, quasi contra matrimonium purgatorio non locus detur, sed potius, quod pars, nisi maioribus gravata praesumptionibus, licet concubitum confessa, etiam sine purgatorio, a matrimoniali actione absolvi debeat. Vnde eo magis cum decisione conspirant iudices, qui purgatorium contra matrimonium decernunt, cum urgentes reperiant praesumptiones: quam e contrario illi sensum Decisionis fere non intelligunt, qui ex ea, quasi ob sanctitatem matrimonii purgatorium contra illud non detur, colligunt. Hoc ceteroquin est iudicialis prudentiae, probe aestimare, quae pars potius ad suppletorium, aut ad purgatorium, admittenda sit? *Conf. Perill. DE BERGER. E. D. F. Tir. XXXIV. o. 9. n. 20. fin.* Utique qui de veritate iuraturus est, praefendus illi, qui nolit & nequeat nisi de credulitate iurare. At probe personarum
status,

status, & conditio, & circumstantiae reliquae, sunt expendendae. Generatimque sit, ita vti alioqui commonui, iudex prior ad absoluendum a nexu sponsaliorum, in omnem vitam, si in odiosas nuptias partes vi iudiciali coactae coiuerint, calamitoso ac lugubri futuro, quam vt a sponsalibus partes in nuptias infausto successu intrudere conetur.

§. XXIII.

Sententiae, quae in repudio ex implacabilis odii causa statuendo ferenda, summa petenda ex ipsius rei argumentis. Quodsi pars plenam iusti odii contra partem fecerit fidem, tunc simplex consequitur sponsaliorum diremtio. Sed & tunc expensae merentur compensari, cum apud alterum non steterit, an voluerit litigare, vtrum cetero, quoniam petita a parte separatio sine cognitione iudiciali transigi nequiuir. Magis autem hae expensae compensandae, quando lis finita sine per iurisiurandi purgatorii, sine suppletorii, praestationem. Quodsi quis odium simulauit, temereque eius probationem susceperit, merito causa cadens simul fert expensas omnes. Sed casum posse existere, vbi ille etiam, qui vincat, & cuius odium pro iusta causa repudii declaretur, expensas tamen parti victae reddere iubeatur, non minus exemplis comprobatur. Pars refractaria, si sine vlla probabili causa consummare post sententiam latam matrimonium detrectet, regulariter postea ad hoc adigi, & vbi eius haberi potest copia, per sacerdotem, Consistorii auctoritate, copulari potest. Ad quod vero extremum non facile deueniendum, cum merito iudicem aequum exempla tristissima

ab isto rigore dehortentur. Prius ergo pars altera gra-
uiter monenda, vt potius pecuniaria satisfactioe acce-
pta iuri suo renunciet, quam ancipitem plenamque pe-
riculi aleam subeat. De quo legendus omnino *Ill. DN.*
WERNHER. Princ. Iur. Eccl. Cap. XIII. §. 63. Sponsali-
tias arrhas omni vero casu, nisi partes in concordiam re-
dierint, & in nuptias confererint, lucratur Consisto-
rium. Nocens vero pars innocenti damnum, quod sine
culpa ex amissione arrhae sentit, tenetur restituere. Quod
item, cum posteriora sponsalia, confirmatis prioribus,
rumpantur, obtinere, adductis praeiudiciis docet *B.*
BEYER. ad CARPZ. Lib. II. d. 51. & 62. Iam apud Roma-
nos mulctatus sponsus, imo & sponsa, arrhis istis, dum
friuoletemereque a sponsalibus resilirent. *Vid. §. IV.*
Fortassis & tunc haec multa fisco cessit. Nisi quidem
principaliter, quod *L. 5. C. d. Sponsal.* admittere non vi-
detur, tamen forte in quibusdam causis, & in subsidium.
Non innocenti, sed vtrique potius parti, simul concedi
consuevit libertas alia sponsalia contrahendi. Quid e-
nim, si quis ob odium funestum reprobatus, alteraue
pars iustas inimicitiae suae causas probauerit, vni alteri-
ue parti sponsaliorum dissolutio vteriori fraudi calami-
tatiue sit? Circa plura momenta processus, pro repu-
dio in nostra causa obtinendo instituti, haerere vltra non
vacat. Sed videatur id argumentum late persequutus
BEYST. d. Sponsalib. Cap. XXV. d. Matrimon. Cap. XXII.
XXVI. sq. Quaedam sed oppido pauca & imperfe-
cta dabit etiam *NICOLAI d. Repud. & Diuort. P. II.*
cap. 6.

§. XXIV.

Cum incidissem in modo laudati NICOLAI tractationem quaestionis de foro competenti repudiorum, recepi adhuc calamum, quem modo ponere erat animus, & iterum post tradita §. V. argumentum de *competenti hoc foro* nouis curis paulo illustrandum suscipio. Recte insignis Auctor fatetur *d. l. n. 18.* sponfaliorum & matrimoniorum causas fere per errorem & affectatam sacramenti opinionem, Ecclesiasticas factas, hodieque adeo in regula non nisi Ecclesiastico iudici de iis cognoscendi, maxime repudia aut diuortia decernendi, potestatem esse. In qua sententia ratione facti praesentis Canonici iuris & doctorum magnum consensum produxit in medium. Quod Auctor *d. l. n. 26. sq.* cum schola doctorum negat, iudicem secularem vel per praescriptionem matrimonialium quaestionum cognitionem posse acquirere, id enim uero traditis Canonistarum, non uero Euangelicorum praxi concinnum est. Quis hanc Auctoris sententiam, quod seculari iudici desit bona fides in acquirenda Ecclesiastica iurisdictione, aequis censoribus prober? Et enim ipse deinceps largitur, *d. l. n. 36. sq.* pro mixtis causis merito apud nos sponfalitias & matrimoniales causas haberi. Vnde sunt utique ex Germania, qua Euangelicae doctrinae addita est, exempla nota, ubi soli foro seculari iurisdictione in matrimonialibus vindicata est. Vid. LVDOVICI *Introd. ad Proc. Consistor. Cap. II. §. 10. n. 12.* In instantia prima nihil dubii superesse, Auctor *l. cit. n. 45.* ipse docet, nam communi praxi Euangelicorum sola Consistoria ius cognoscendi habere
de

de sponsalibus & matrimoniis, & haftenus bene consul-
tum esse naturae ac indoli Ecclesiasticarum causarum,
quod praecipue Theologi cum Politicis nostris Consi-
storii assideant, qui Theologi inprimis causas ecclesia-
sticas norint pro conscientia decidere. Id in hac doctri-
na est iterum fere nimium, quod aperte Auctor prodit,
sibi non videri, vnquam in istis causis sine Theologo-
rum consilio sanum fieri iudicium. Quod deinceps di-
serte tnetur, *d. l. n. 69.* quando testatur quidem praxin
Saxonicam, vt in secunda instantia propter causas repu-
diorum, aliasque Ecclesiasticas, a Consistoriis ad Sum-
mum Principis Regimen prouocetur: quale praeiudi-
cium supra dedi §. XII. At id satis fieri commode,
contra doctores affirmantes, ex quibus potissimum ex-
citatur CARPZOVIVM *Lib. I. tit. 1. d. 12. P. III. decis. 240.*
Proc. tit. XIII. art. 2. contrariis pluribus rationibus nititur
euincere. Ita *d. l. n. 53. sq.* vrget, iudicem appellationis,
ad quem fiat prouocatio, non tantum ratione persona-
rum litigantium superiorem, sed etiam ratione causae,
super qua cognoscendum, competentem, ipsique cogni-
tionem & diiudicationem istius causae, non minus ac iu-
dici a quo, commissam esse debere, quoniam succedat
in locum iudicis a quo; id fallere autem in Regimine
aut Cancellaria Principis, quibus sponsaliorum ac matri-
moniorum cognitio nunquam concessa fuerit, aut con-
cessa esse potuerit. Porro est in opinione, quando non
nisi ex Theologis & Politicis mixtum collegium causis
Ecclesiasticis iudicandis praefici debeat, & adeo secularis
iudex in istis sit prorsus incomperens, non apparere, qui
Regimina, licet summa, in quibus Theologus nullus as-
sident, sident,

fideat, velint vilo iure ad definiendas repudiorum & di-
 uoriorum quaestiones terminandas in secunda instan-
 tia adgredi. Praeterea *l. cit. n. 58.* matrimoniales & spon-
 salitias causas tradit adeo a seculari omni foro exemptas
 esse, vt nec in secunda instantia alii collegio, nisi in quo
 Theologi & Politici iudices sint, committi queant. In-
 concinnitatem, ni dixerit iniustitiam; laudatae pra-
 xis, inprimis Saxonicae, ipsas rationes iuris nostri in
 Imperio recepti publici satis conuincere. Namque in-
 auditum esse, vt, quoties de iure & viribus matri-
 monii, vel de sponsalibus ac coniugiis dissoluendis
 disceptetur, vel per viam simplicis querelae, vel et-
 iam per modum appellationis, ad Imperii summa iu-
 dicia res deuoluatur. Quidni vero statuum inferiora
 iudicia merito erubescant id affectare, quod summis
 Imperii iudiciis semper visum fuerit a seculari iurisdic-
 tione alienum? Addit Auctor, *d. l. n. 60.* ad sum-
 mam quidem potestatem Principis, apud Euangeli-
 cos, & Iudicia Secularia, & Consistoria Ecclesiastica
 pertinere. At probe attendendam esse vtriusque iu-
 dicii originariam quasi differentiam, quae non pa-
 tiatur turbationem probe constitutorum limitum. Vr-
 get praeterea Auctor *l. cit. n. 61.* quam matrimoniales con-
 trouersiae, & causae dissolutionis sponsaliorum & matri-
 monii, rem conscientiae, & diuinitus institutam coniun-
 ctionem, contingant, a quarum rerum cognitione &
 diiudicatione Theologi, quibus cura animarum & con-
 scientiarum diuinitus sit demandata, nec in secunda
 instantia iuste arceri valeant. Quam suam senten-
 tiam *d. l. n. 62.* firmat consensu Theologorum nec non

ICorum communiore. Denique *n. 63. sq.* ad rationes, quas dubitandi vocat, CARPZOVII responder, sed *n. 69.* iterum testatur, Electoratum Saxonicum in contraria suae sententiae versari praxi. Quae quidem praxis, quod causae matrimoniales, imprimis repudiorum & diuortiorum, in instantia secunda ad seculare forum pertrahantur, imo etiam harum causarum disceptationes iudicio Facultatum Iuridicarum, in quibus Theologi absint, submittantur, ad facti potius, quam iuris, rationes merito referenda ipsi videtur.

§. XXV.


Prohibent me rationes mei instituti, quo minus in alienius ab eo argumentum istud controuersum late excurram. Merentur vtrique censuram pleraque ab Auctore prolata. Quid magis est absolum, quam sponte sua agnoscere in eo corruptelam, quod causae sponsalitia & matrimoniales characterem sacrum induerint, & tamen pro ea asserenda sacra & sacramentali qualitate pugnare argumentis prorsus Canonistarum propriis? Ira vero plena sunt omnia principiorum petitionibus, & consequentiis ex impuris dudumque explosis principiis & originibus petitis, vt vel respexisse cum cura & iudicio ad argumenta proposita, sit simul, nuditatem eorum & imbecillitatem quasi manibus contrectare. Nihil sane est infirmius, quam in nostra causa ex summorum Imperii iudiciorum obseruantia rationes colligere. Cur in causis sponsalitiis & matrimonialibus Imperii summa iudicia non iudicent, ibi vero causae est tum Catho-

lica

licae tum Euangelicarum Ecclesiarum status. Illic Pontificis Maximi imperium occupauit omnes causas, quae aut essent sacrae, aut aliquando fingerentur. Nefas ibi creditur, seculari foro matrimoniorum & sponsaliorum iurisdictiones committere. Nunquid vero non in Ecclesia nostra hoc habetur palladium, quod maiestati, egregia suorum iurium parte aliquandiu spoliatae, restitutum fuerit omne, quod ad integritatem & perfectionem eius fecerit? Ius sacrorum puto, cum quo sponsalitia & coniugales causae ad cognitionem Pontificis Maximi dudum abierant, & nunc apud nos felicissime cum toto iure sacrorum supremae potestati iterum cesserant. Interest profecto maiestatis, & in Imperio superioritatis, quam vocant, territorialis, tueri vindicata iura & defendere. Sit, aliquando consultum visum esse, causas nostras cum reliquis Ecclesiasticis committere Consistoriis, in quibus Theologi cum Politicis sedeant iudices. At id vero iuste ac prudenter restrictum est ad primam instantiam. Et eadem ratione, qua a ceteris iudiciis inferioribus ad ipsum recurritur Principem, etiam in sacris causis ad eius arbitrium iuste meritoque prouocatur. Ibi Princeps demum ipse ius reddit absque vltiori prouocatione. Et postulare, vt nec Princeps in Sanctiori suo Senatu, aut in Senatu Supremo prouocationum, sine Theologorum consilio & suffragio iudicet, id enim uero est manifesto ad Papales naenias redire. Quasi viri politicarum rerum notitia & iuris peritia instructissimi, conscientiae suae & alienae aut tam ignari, aut prodigi, essent, vt ipsis citra sacerdotalem opem de sacris &


conscientiae rebus iustum ferre iudicium non lice-
ret. Mitto vero haec, cum nostram causam ita instru-
ctam dederim, vt sane sine insigni iniuria nemo vl-
tra dubitauerit, esse in ea causa, priuatis arbitriis vt-
que plene exempta, nihil, quod sanum sobrium-
que iudicium summorum secularium
tribunalium refugiat.

F I N I S.



Wittenberg, Diss., 1727 Sp-Z

X 237 1928





B.I.G.

Farbkarte #13

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE

1727 31a
**IVRE REPVDIORVM
INPRIMIS**

EX
IMPLACABILIS CAUSA ODII

QVAM
PRAESIDE
7 2A
IACOBO CAROLO SPENER, IC.

DIG. INF. ET NOVI NEC NON HIST. P. P. CVRIAE
PROVINC. ET SENATVS ECCLES. ELECTOR. SAXON. ITEMQVE
SCABINATVS AC FACVLT. IVRID. ASSESSORE SOC. SCIENT. REG.
BORVSS. SODALI

PRO LICENTIA

**SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CAPESSENDI**

D. VII. OCTOBR. c1o 10cc XXVII.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

PLACIDAE ERVDITORVM
DISQVISIONI SVBMITTET

IO. CHRISTOPHORVS RICHTERVS

DRESDENSIS
ADVOCATVS IMMATICVLAVS.

VITEMBERGAE, LITERIS GAEBERDTIANIS.